

facinus patravit ab eo, in quem deliquit, supplicii metu, nunquam pacem sit petitus. Principem igitur tuum evertere poteris, et impedire quominus cum alio aliquo pacem aut foedus ineat, si curaveris ut magnum aliquod facinus adversus illum perpetret. Sic enim, ne si offerantur quidem condiciones pacis aequae, acceptare illas audebit, vel sola conscientia sceleris permotus.

Post primum bellum Punicum, pace facta, redierunt in Africam Poeni quidam milites, qui sub Carthaginem império in Sicilia ac Sardinia militaverant; et quum iis stipendia a Carthaginiensibus non solverentur, arma adversus illos sumpserunt, et, Matho Spendioque ducibus, aliquot eorum urbes occuparunt ac diripuerunt. Carthaginienses, ne pugnandum esset, Asdrubalem, cuius auctoritatem apud ipsum multum posse putabant, quum in bello prius illorum imperator fuisse, legatum miserunt, qui de pace cum illis ageret; Spendius autem et Mathus impiendiæ pacis hasce rationes invenerunt, ut et Asdrubalem et alios quoscumque haberent Carthaginem apud se interficerent et diris supplicis lacerarent. Cui facinori hoc quoque scelus adiecerunt ut iureirando omnes adegerint non passuros se quemquam Carthaginem vivere, qui in ipsorum manus veniret, sed omnes iisdem suppliciis affecturos. Atque hoc modo et irritam fecerunt pacis tractationem, et militem contra Carthaginem exacerbarunt.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Pasta vermiculata, suco lycopersici esculentia madida.

Soleae frixa.

Pulmentarium ex faseolis.

Ova in iuscum redacta odoratis tuberibus condita.

Buccella Lucensis.

Iocosa

TUCCIU in schola.

Postquam ludimagister explanare conatus est triplicem aquae statum, solidum nempe, liquidum et aëriformem, Tuccium interrogat:

— In quo igitur status aqua reperiri potest?

TUCCIU, qui aliena usque tum egerat:

— Certe in pluribus Europæ Statibus!

TUCCIU aëris miti temperie allactus sibi proposuit iter ad proximum pagum facere. Nescius vero quam longe illinc is locus esset, viatorem quendam interrogat; qui quum respondisset decem milia passuum distare, TUCCIU rursus:

— Pedibus an curru?

Aenigmata

I

Adnitor veram vitam fixisse colore:
hanc imitor, faciens quamlibet effigiem.
Consona mutatur? Noctu mihi furnus obitur,
ut coctos panes vendere mane queam.

II

Est mihi lambda duplex? Capiti confine vides
[me.
Lambda mihi est simplex? Turbida vina li-
[quo.

FR. PALATA.


Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Unguis-Anguis;*
2) *Fur-Furfur.*

ALMA ROMA

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



IMPRIMATUR:
† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

• TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MONITA

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS
FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 650 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1300, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXVI

Romae, mense Octobri MCMXXXIX

Fasc. X

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

PII XII P. M. ALTISSIMI PATRONI
RECENTIORES DE PACE ORATIONES

Liceat mihi admiratori sanae illius eloquentiae Pontificis nostri, quam iam clarissimus vir Guido Mazzoni nuper alte praedicavit, latina ueste ornatam allocutionem referre ab eodem Pio PP. XII gallico sermone habitam ad novum Belgarum Legatum, qui debita salutatione publicas litteras Ei tradiderat Regis sui Leopoldi, tribuentes Legato apud Apostolicam Sedem auctoritatem summae potestatis:

«Praestantissime Noster Legate,

Magno afficimur gaudio accipientes e manibus excellentissimis Tuis publicas litteras, quibus Maiestas Belgarum Regis Tibi apud Nos auctoritatem tribuit legati extraordinarii summa cum potestate. Ex his novum colligimus argumentum quantum Augusti Tui Regis intersit, ut intima et fidelia officia inter Belgarum nationem et hanc Apostolicam Sedem feliciter existantia plane serventur, quae quidem cum Ecclesiae tum Reipublicae magnae sunt utilitati.

Verba quibus Tu, Vir excellentissime, litteras Nobis sollemniter tradidisti, Nobis praestant (neque minus commovent quia nimirum expectata) Te honestae Regis vo-

luntati omnino summaque fide responsurum.

Nos autem pro certo adfirmamus, clarissime Legate, iam pridem Tuas mentis animique virtutes cognoscere atque probare potuisse; Nos igitur libenter Tibi omni adiumento favebimus altum explenti munus.

Ceterum huius munera initia in horam incident trigicae contentionis, quae Nostrum afficit animum summo maerore.

Quae a novissimo bello inter gentes anxiae sollicitudini atque terrori populis erant, rursus res vera facta sunt: spectaculum immensa cladis. Nam huius novi belli quod iam Europam turbat atque praesertim catholicam nationem vexat, nulla hominum prudentia potest prospicere quem cladium numerum allaturum sit aut quam late quibusque casibus progressurum.

Tu iure memorasti quae Tuus Rex usque ad extremum tempus sit conatus ad tutandam incertam pacem et Europae populos gravissimis calamitatibus eripendos. Ecquis poterat vehementius nobilibus his conatibus favere quam omnium Christianorum Pater?



Positi officiis Nostri apostolici ministerii extra privatas contentiones, solliciti autem paterno Nostro amore quod sit verum omnium populorum bonum, intellegebamus excruciatu corde in dies magis magisque imminere turbinem necessario erupturum quum, disceptationibus omissis, ad armatum esset.

Non h̄c Nobis iterandum tantae calamitatis praesensionem Nōs continuo turbasse a primo Nostri Pontificatus initio, itemque usque ad extremum tempus, nondum exerto bello, nihil praetermississe, quod in Nobis esset, sive precibus, sive hortationibus, sive omnia saepius amice et accurate experiendo, ad proponendam animis periculorum gravitatem eosdemque revocandos ad sinceras stablesque condicione firmissimo subnixas fundamento iustiae atque amoris; iustitiae infirmiori itemque valentiori tributae, amoris qui abhorreat ab erroribus nimis sui amantium, ut tutela uniuscuiusque iuris non degeneret in oblivionem aut negationem, aut violationem certam aliorum iuris. Heu! hodie bellicorum tormentorum fragor, strepitus pugnantium exercituum celerrima que belli eventa ceteras voces sunt opressura.

Certamina iam conserta, alicubi fulminis instar, videntur nunc praeccludere pacis patronis itinera, quae etiam tum heri apparerent mutuae bonae voluntati.

Quae quum ita sint, Deum precibus invocamus, qui regit hominum corda, ut dies contrahat periculi, et populos, quibus tam horrenda imminent mala, vias novas pacis doceat antequam quod ardet incendium totum corripiat orbem.

Quumque Nos simus, quamquam indigni, Illius Vicarius qui in terram descendit — Princeps pacis — subnixosque Nos sentiamus Christianorum precibus atque adiutoris intima conscientia, quam plurimos homines bonae voluntatis cum Nobis consentire, nunquam cura desiste-

mus fortuitas occasiones deprehendendi ad eas adiuvandas omni Nostra facultate; in primisque captabimus opportunitatem revocandi populos hodie turbatos atque divisos ad agendum de pace omnibus honesta pro humana christianaque conscientia, quae tueatur iura unicuique necessaria nationesque tutas ac tranquillas efficiat; ideoque, donec haec omnia fieri non poterunt, curabimus lenienda vulnera iam illata aut in posterum inferenda.

H̄c Nobis placet memorare affirmaciones quasdam, quibus Nationes contendentes ab initio belli publice adseverarunt se servaturas in perficiendo bello humanitatis leges, et secuturas foedera inter Nationes icta.

Volumus igitur sperare populorum civibus exercitus in omni militari motu esse temperaturos, in terris autem occupatis vitam, honorem, facultates, pietatem incolarum tuta fore, captivos humana usuros condicione ac sine impedimento divini cultus solaciis fruituros, minime quemquam suffocantes et venenatos vapores adhibitum.

Apud gentem, quae iam Christi Ecclesiae largita est admiranda exempla christiane charitatis, pro certissimo habemus invocationem nostram Christi pacis, iustitiae et charitatis in iis quae inter gentes agitantur, semper promptos ac proclives animos habituram, corda devota dolori, manus adiuvantium.

Qua permoti serena spe, invocamus omnipotentem Dei tutelam Maiestati Regis omnique eius Familiae, Belgis eorumque Rectoribus; praincipiam autem divinam benedictionem imploramus Tibi, excellentissime Legate, quae Tibi semper adsit in altissimo munere perfungendo».

Non erit autem abs re nunc, quum omnia in terris plena sunt sollicitudinis atque timoris, imminent in Europa saevissimo

bello, moventia illa reddere et ornata verba, in latinum pariter sermonem ex italico translata, quae idem Pius PP. XII universo orbi radiomachina e Pontificia sede Arcis Gandulphi recitavit a. d. IX Kal. Sept. huius vertentis anni:

« Formidulosa rursus ruit hora omni hominum generi pergravium causa consiliorum, a quibus neque Nostrum potest paternus animus, neque Nostra debet divina potestas aliena esse, ut hominum animi ad iustum perducantur pacem.

En vobis adsumus omnibus quicumque in hoc discrimine tantum sustinetis onus, ut per Nos vocem illam Christi audiatis, qui tam alte homines docuit cuiusque verbo omnes terrarum strepitus unice dominante, vel in tanto metu innumerabiles animi plane confidunt.

Vobis praesto sumus, duces populorum, armorum et reipublicae administranda peccati viri, scriptores, oratores radiomachina vel a rostris loquentes, quicumque autem cogitationes et opera regitis fratrum, ilorum fortunarum grave onus suscipiendo.

Nos nulla alia re armati nisi Veritatis verbis, extra publicas contentiones et simultates vos alloquimur Dei nomine, a quo omnis patria potestas nomen capit in caelo et in terris, Iesu Christi Domini nostri, qui omnes homines fratres voluit esse, Spiritus autem Sancti, altissimi Dei doni, inexhausti amoris fontis in cordibus.

Hodierno die, quum neglectis iteratis Nostris hortationibus Nostraque praincipia cura, vehementius sollicitant hominum corda metus cruentis belli inter gentes, hodie quum animorum contentio eo processisse videtur, ut mox iudicetur erupturus saevius belli vortex, Paterno animo rursus commotioribusque verbis Rectores et populos alloquimur, alteros ut sublati accusationibus, minis, causis mutuae differentiatione, ea una ratione, qua decet, controversias nostrorum temporum dirimendas curent, id est inter se sine fraude commu-

nicando, alteros ut in plena tranquillitate sine inconsulis motibus conatus adiuvent gubernantium ad conciliandam pacem.

Ratione duce, non armorum vi Iustitia triumphat, neque regnis a Iustitia abhorrentibus Deus favet.

Reipublicae administranda ratio, quae morum doctrinam repudiet, eos ipsos perdit qui haec cupiunt.

Urget sane periculum, sed adhuc rei mederi licet.

Nihil quidem pace, omnia fortasse bello pereunt.

Utinam homines invicem agendo semetipsos cognoscant!

Si bona egerint voluntate et mutua iuris aestimatione, profecto sentient apertas gravesque negotiationes nunquam non propere cessuras. Se autem vere magnos iudicabunt si, repressis cupiditatis vocibus publicae vel privatae, ratione semper dominante, sanguini pepercerint fratrum ruinasque a patria averterint.

Utinam vox huius Patris Christianae familliae, huius servorum Servi, qui haud quidem digne, sed re Iesu Christi personam, verbum, maiestatem gerit inter homines, statim ac libenter ubique audiatur!

Praebeant Nobis aures strenui, ne infirmi iniustitia fiant, praebeant potentes si volunt suas opes valere non ad populos delendos, sed ad eos adiuvandos atque tutandos in ordinata tranquillitate laborum. Eos fervide obtestamur pro Christi sanguine, cuius vis quae de terris triumphavit fuit vitae mortisque mansuetudo, iisque supplicando pro certo habemus atque sentimus Nobiscum consentientes habere omnes rectos corde, eos omnes quicumque Iustitiam sitiunt eiusque sunt avidi, quaque vitae incommodis omnes iam perpetuantur dolores.

Nobis conspirant corda matrum cum Nostro pulsantia, patres quibus, si sit necesse, familiae sunt deserendae, humiles qui inconscii laborant, innocentes quibus

taeterrima imminent pericula, iuvenes denique magnifici auctores nobilissimae et purissimae cuiusque rei.

Nobis autem adest spiritus veteris huius Europae, quam praestantissima Christiana fides constituit.

Nobiscum consentiunt omnes homines qui iustitiam, pacem, libertatem desiderant, non ferri necem atque ruinam.

Nobis demum Christus adest, qui fraternum praecepit amorem tanquam monitum primum, necessarium, divini cultus rem praecipuam, unicuique homini atque genti salutis pignus.

Haud ignari denique hominum opera sine divino auxilio nihil valere, omnes incitamus, ut ad Caelum oculos convertant Dominumque fervidis orient precibus, ut gratiam Suam perturbatae huic terrae largiatur, iras placet, animos conciliat patetque auroram splendidioris diei.

Hac freti exspectatione atque spe omnibus ex animo impertimus paternam nostram benedictionem».

NAZARENUS CAPO.

HISTORICAE NOTAE

De Romana Republica

Secundae historiae romanae aetati titulus inditus est *Respublica*. Nomen genericum est opponiturque rei privatae, quatenus privata res dicitur quod Titium, Caium singillatim spectat; publica vero quae societatem universam, ideoque eos omnes quibus societas constat: res publica est res populi; privata vero res mea, tua, cuiusque nostrum; atque uti ius publicum habemus oppositum iuri privato, ita rem publicam oppositam rei privatae, unde et in regno habentur res publicae et res privatae. Quum tamen, exactis regibus, populus visus sit ipse suam administrare rem atque gubernare, ideo nomen id *Respu-*

blica deductum est ad significandam illam regiminis formam rerumque rationem et ordinem qui successit Regno, praecessit autem Imperio. Gloriosissima quidem aetas, quae imperio late populos subegit, retinuitque fere universos.

Quo autem facilius propositum assequamur, huius aetatis triplicem veluti periodum distinguemus; quarum prima ad Gallorum irruptiones (DIX-CCCL), altera ad bellum punicum tertium (CCCL-CXVI), tertia ad Imperium (CXLVI-XXXI a. Ch. n.) porrigitur: illa subigitur Latium, ista Italia, hac universus mediterraneus orbis; illa ius quiritarium quod lege XII tabularum exhibetur fere constituitur; his gentium et civile ius enascitur atque evolvitur. Innovati autem rerum ordinis capita haec sunt: imperium ab uno ad collegium duorum transit; e vitalicio et perpetuo fit annum; senatum consilium augetur tum auctoritate, quae maximum nanciscitur momentum, cum etiam numero, novis ex plebe viris adlectis; populus idem valentior fit cum auctoritate in eligendis magistratibus, in legibus ferendis, in iudiciis decernendis, cum etiam numero et amplitudine, aequi-parata iuribus plebe patriciis. Quae tamen non extemplo quidem constituta sunt, sed paullatim, nec sine magna contentione plebem inter ac patricios. Quapropter, quo clarius res eluceant, ratio illa nobis et via est ordine prosequenda, qua concessit Re-publicae Regnum, quaque dein praevaluit Respublica Latio, Italiae, Orbi terrarum.

Quum vero ea quae eversionem galli-cam sequuta sunt non admodum obscura appareant, primam harum notarum de Republica partem eo temporis continebimus spatio, quod a regibus depulsis patet usque ad Gallorum invasiones. Veram planeque certam historiam nondum ingressi fuisse dici quidem possumus: obscuritas tamen non a defectu hic, uti in periodo regia; sed potius e copia ipsa rerum quae traditae sunt exoritur. Igitur ne fabulis obrua-

mur, periodum in partes rursus dividemus; quarum prima erit ab exordiis reipublicae ad pugnam ad lacum Regillum (DIX-CDLXXXIX), deque conatibus aget Tarquiniorum; altera ad rogationem Tarentillam (CDLXXXIX-CDLXII) de primis plebis conatibus; tertia ad Decemviros pulsos (CDLXII-CXXXIX) de innovata constitutione et de lege XII tabularum; quarta ad coniurationem Spurii Melli (CDXXXIX-CDXXXIX) de subigendis finitimis populis compescendisque conatibus plebis; quinta denique usque ad Gallorum invasiones (CDXXXVIII circiter-CCCL), quae erit praesertim de captis Fidene et Veis atque de Gallorum irruptionibus. Quinque igitur capitibus primum referemus breviter traditionem, additis quidem brevibus animadversionibus criticis in singula capita; demum, conclusionis instar, ea unico capite colligemus atque ex ordine quae historice tenenda videantur.

Favorem, quo me humanissimi ALMAE ROMAE socii et lectores huc usque sunt prosecuti, immutatum mihi permansurum confido.

SILVIUS ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

e) «At» multiplices et egregios habet usus.

EXEMPLA: *Si* mihi republica bona frui non licuerit, *at* carebo mala (CIC.) — Quos coniunctos summa benevolentia plurimisque officiis amisisti, eorum desiderium, *si* non aequo animo, *at* fortis feras (CIC.) — Quorum cognitio studiosis iuvenibus *si* non magnam utilitatem afferet, *at* certe, quod magis petimus bonam voluntatem (QUINT.) — Plures haec tulit una civitas, *si* minus sapientes, *at* certe summa laude dignos (CIC.) — Brevis a natura

¹ Cfr. fasc. sup

nobis vita data est; *at* memoria bene redditiae vitae sempiterna (CIC.) — *At* vero Cn. Pompeii voluntatem a me alienabat oratio mea. An ille quemquam plus dilexit? (CIC.) — *At enim* nemo post reges exactos de plebe consul fuit? Quid postea? Nullane res nova institui debet? (TIT. LIV.) — Fecit idem Themistocles: fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat. *At* idem Pericles non fecit (CIC.) — Non placet M. Antonio consulatus meus: *at* placuit P. Servilio (CIC.) — O miram memoriam, Pomponi, tuam! *At* mihi ista exciderant (CIC.) — Quid porro quaerendum est? Factumne sit? *At* constat. A quo? *At* patet (CIC. I) — *Si* se ipsos illi nostri liberatores e conspectu nostre abstulerunt, *at* exemplum facti reliquerunt (CIC.) — Atque ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, *at* pro nostro *tamen* studio meritam gratiam debitamque referamus (CIC.) — Nunc quoniam tuum insanabile ingenium est, *at* tu tuo supplicio doce humanum genus ea sancta credere quae a te violata sunt (TIT. LIV.) — *At* vide quid successeat (CIC.) — *At* tu, pater hominum, hinc saltem arce hostes (TIT. LIV.) — *At* tu cui laetus rides mala nostra, caveto mox tibi: non uni saeviet usque Deus (TIB.) — *At* vide quam ista tela contempserim (CIC.) — *At* tibi pro scelere, pro talibus ausis, di persolvant grates dignas et prae-mia reddant debita! (VERG.) — Horum omnium studium, curam, diligentiam una mater oppugnat. *At* quae mater! (CIC.) — *At* per deos immortales, quid est quod de hoc dici possit? (CIC.).

f) «Sed» et «verum» non tam vehementer opponunt. Praeterea, usurpantur post digressionem et post parenthesis.

EXEMPLA: Ciceroni populus Romanus in contione non unius diei gratulationem, *sed* aeternitatem immortalitatemque donavit (CIC.) — Neque vero Milo se populo solum, *sed* etiam senatui commisit; neque senatui modo, *sed* etiam publicis praesi-

diis et armis, neque his tantum, *verum* etiam eius potestati, cui senatus totam rem publicam commiserat (CIC.) — Omnibus negotiis non interfuit solum, *sed* praefuit (CIC.) — Neque solum cives sollicitabat, *sed* cuiusque modi genus hominum (SALL.) — Ego a Quinto nostro non dissentio; *sed* ea quae restant audiamus (CIC.) — Non quid nobis utile, *verum* quid oratori necessarium sit quaerimus (CIC.) — Simonides non solum poëta suavis, *verum* etiam vir doctus sapiensque erat (CIC.) — Vir bonus legibus non propter metum patret, *sed* quia id salutare maxime iudicat (CIC.) — Pusilla res est hominis anima; *sed* ingens res contemptus animae (SEN.) — Super terga gladia et scuta erant, *verum* ea ex coriis, ponderis gratia simul et quo levius offensa streperent (SALL.) — Oti fructus est non contentio animi, *sed* relaxatio (CIC.) — Num vir sapiens, non quid verissimum sit, *sed* quid velit vulgus, exquireret? (CIC.).

g) Quum a maiori ad minus procedimus, «*non modo, sed (verum)*», «*non dicam, sed*»; quum a minori ad maius, «*non modo (non solum, non tantum), sed (verum) etiam*».

EXEMPLA: Eloquentia *non modo* eos ornat penes quos est, *sed etiam* universam rem publicam (CIC.) — Dolor meus *non modo* non minuitur, *sed etiam* augetur (CIC.) — Me Caesar ut sibi essem legatus, *non solum* suasit, *sed etiam* rogavit (CIC.)

— Medico diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, *non solum* morbus eius, cui mederi volet, *sed etiam* natura corporis cognoscenda est (CIC.) — Quod si mihi a vobis tribui concedique sentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium *non modo* non segregandum, quum sit civis, a numero civium, *verum etiam*, si non esset, putetis adsciscendum fuisse (CIC.) — Praetorem decet *non solum* manus, *sed etiam* oculos abstinentes habere (CIC., Off., I, 40) — Ego ostendo, non

modo nihil eorum fecisse Sex. Roscium. *sed* ne potuisse quidem facere (CIC.) — Quosdam scriptores, quos totos imitari oporteat, et fuisse nuper, et nunc esse, quidni libenter *non* concesserim *modo*, *verum etiam* contenderim? (QUINT.) — Nomen legati eiusmodi esse debet, quod *non modo* inter sociorum iura, *sed etiam* inter hostium tela incolume versetur (CIC.) — Libertatis ego, quoad potui, *non modo* defensor, *sed etiam* conservator fui; quum id autem facere non possem, quievi (CIC.) — Tu, Antoni, tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi romani conspectu vomere postridie. O rem *non modo* visu foedam, *sed etiam* auditu! (CIC., Phil., II, 25) — Ut in agricultura *non vineas tantum, verum etiam* arbusta, *nec arbusta tantum, verum etiam* campos euro et exerceo; utque in ipsis campis *non far et siliginem solam, sed* hordeum, fabam, ceteraque legumina sero, sic in actione plura quasi semina latius spargo, ut quae provenerint colligam (Pl., I, 20) — Luculli Archium poëtam in domum suam receperunt, *non solum* ingenii et litterarum causa, *sed etiam* naturae et virtutis (CIC.) — Docebam Roscio, quum a me summe contenderet ut suum propinquum defendarem, mihi perdifficile esse contra Hortensem *non modo* tantam causam perorare, *sed omnino* verbum facere conari (CIC., Quint., 24).

De dupli nominativo singulari eiusdem verbi.

Quum sunt duo aut plures nominativi singularis numeri et tertiae personae, verbum modo plurali, modo singulari effertur, prout sensus postulat.

EXEMPLA: Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt (CIC.) — Nox atque praeda hostes remorata sunt (SALL.) — Veneno absumpti sunt Hannibal et Philophaemen (TIT. LIV.) — Animus hominis, ratio, consilium, prudentia, divina cura perfecta

sunt (CIC.) — *Ira et avaritia imperio potentiora erant* (TIT. LIV.) — *Fervent linguae corque mero* (Ov., Fast., II, 732) — *Obruit animum Q. Fulvii Flacci simul luctus metusque*: mane ingressi in cubiculum servi laqueo depedentem invenerunt (TIT. LIV., XLII, 28) — *Illi robur et aes triplex circa pectus erat* qui primus fragilem truci pelago ratem commisit (HOR., Od., I, 9) — Carmen reprehendite quod multa dies et multa litura non coercuit (HOR., Art. poet., 293) — *Aetas et forma et super omnia Romanum nomen te ferociorem facit* (TIT. LIV.) — *Probitas et continentia exanimata est* (VAL. MAX.) — *Fors, tempus ac necessitas fecit* (TIT. LIV.) — Hac ratione et Chrysippus et Diogenes et Antipater utilit (CIC.) — Omnibus in rebus temeritas et ignoratio vitiosa est (CIC.) — *Inquisitio atque investigatio veri propria est hominis* (CIC.) — *Urbs atque Italia interno bello consumpta est* (TAC.) — *Aetas animusque virilis querit opes* (HOR.) — Orgetorigis filia atque unus ex filiis captus est (CAES.) — Et ipse C. Flaminius et equus eius ante signum Iovis Statoris concidit, nec eam rem habuit religioni (CIC.) — Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria (CIC., Sen., 7) — Difficile dictu est quanto opere conciliet animos comitas affabilitasque sermonis (CIC.).

De verbis transitivis quorum accusativus reticetur.

Verba transitiva suo accusativo non semper instruuntur.

EXEMPLA: Ad prima signa veris, Hannibal in Etruriam dicit, eam quoque gentem aut vi aut voluntate adiuncturus (TIT. LIV.) — *Deflexit de spatio curriculoque consuetudo maiorum* (CIC., Am., 12, 40) — *Turbulentior inde annus exceptit* (TIT. LIV.) — *Hiems praecipitaverat* (CAES., Bel. civ., III, 24, 1) — Romae foedum incendium per duas noctes ac diem unum


tenuit (TIT. LIV.) — Qua abscissae rupes erant, statio paucorum armatorum tenebat (TIT. LIV.) — Iam ver appetebat, quum Hannibal ex hibernis movit (TIT. LIV.) — Stationes dispositas habebant, atque alios alii deinceps excipiebant, integrisque et recentes defatigatis succedebant (CAES.) — Sublatae sunt anchorae, solvimus, profecti sumus (CIC., Quint., IV, 2) — *Ira in rabiem vertit* — Mihi bene facere iam ex consuetudine in naturam vertit (SALL., Jug., 85) — Hic novus Camillus Italiam ab Hannibale recuperare parat (TIT. LIV.) — *Prensat unus P. Galba* (CIC., Attic., I, 1) — Clamabat se *meruisse* cum L. Roecio (CIC., De Suppl., 62, 161).

S. Leonardi in Helvetia.

I. JSS.

DE GOSSYPIO

Altiora perspicienti naturalis historiae singulare quoddam appareat, quo in multitudo rerum asseritur unitas, in unitate multitudi, in aperta discordia rerum subest concordia latens, ac dum inter se omnia diversa videntur, commune tamen aliiquid habent, quo non modo inter se belle convenient, sed in idem conari et ferri consensu mirabili videantur. Itaque non sine voluptate magna admiramus, quae in mari sunt, in terris eadem iterari; quae in piscibus, eadem in quadrupedibus instaurata; quae in germinantibus, eadem in animalibus restituta. Quanta florum varietas in agris! Quantum decus in coloibus! Quae gratia! Qui nitor! Ubi in oceani profunda descenderis, non minora reperies a corallis ad uniones, a conchiliis ad mullos, ad medusas, ad nautilos, ad sexcenta. Miraberisne ingentem elephantum molem? Numquid minora sunt, quae turbant immania cete Pectoris impulsu syrtes; fremit undique pontus?



At quod mirabilius est, in germinantibus nonnulla habentur quasi ad exemplar eorum, quae sunt in animantibus constituta. Habent nonnullae plantae liquorem, qui cito appetat ubi corticem incideris, sicuti sanguis ubi pellem ferieris in animalibus effluit, neque minus hoc effluit, gratissimus viatoribus sitientibus. Habent animalia nonnulla atrotem indolem, sanguinariam rabiem... Cave, lector, ab iis plantis, quae praesertim in Africa interiore sunt, et *lianæ* appellantur; illigant, serpentium more, rapidissimæ, celerrimæ, et eodem tempore, quo membris haerent, sanguinem sugunt usque ad ultimum. Araneæ muscas, *muscipula sensitiva* muscas alligat, et exhaustit. Habent virus viperae, crotalus, aspides... Ne mireris; idem præstant et fortasse vehementius *upas*, aconytha, cicutæ, ranunculus sardonicus, et sexcenta huiusmodi. Sed et blandissimæ et mansuetissimæ oves habent lanam, qua repellant frigora hyeme, cooperiant reliquias nidorum interiora volucres, homines vestiantur... Ne quaeras ulterius; habes enim in gossypio eadem. Res non homines latuit, puto, iam ab exordio, ubi primum ovina vellera in filum deduci coepit sunt; magna enim inter lanam et gossypium similitudo; at gossypium longe mollius lana, ac delicatum longe magis. Hinc non modo susceptum ad opus, sed præhabitu quoque velleribus credo; nam aspera mulieribus lana saepe oculos urit; non idem gossypium. Adde quod leviori opere, leviori negotio comparetur, telasque suppeditet magis plicabiles, et minus graves. Atqui — historiam sequor, quam scitissimi homines de gossypio narraturi constituerunt — procul esse a dubio vindetur gossypii usus ferme tribus abhinc annorum millibus. Gossypium autem tres abhinc annorum millia, victorum sequens morem, agmina sua per universum terrarum orbem non modo explicuisse dimissa, sed quaedam constituisse quasi ca-

stra et stationes, ex quibus sensim excursitans novas regiones invaderet, primum incursione quadam iucunda, advelitationibus tantummodo; posteaquam vero favorem populi erga se concitasset et convertisset, illico occupare omnia, feliciter in occupatis assidere, dominatione denique potiri; et, quod mirabile est, nulla invidia, aemulatione nulla; nam saepissime icto foedere, pronuba fraude, avaritia pronuba, modo lanae, modo lino faustissime copulatur. Ego quidem, si omnia ad veteres retrahenda essent mores, nescio, gossypio reiecto, quibus gregibus preces admovendae essent de caelo demissuris, ut indumentis necessariis humano generi, vel saltem iis, quae necessaria putantur, non impares essent.

India utraque gossypii patria pluribus argumentis adstruitur, tum quia sponte ibi nascitur, tum quia nullis, aut ferme nullis infortuniis ibi patet, conspirantibus una caelo soloque. Quod igitur ibi commodum et opportunum erat viatores, mercatores, peregrini deportarunt in eas praesertim regiones, ad quas vel redibant qui exsules olim vel commeabant ad utile negotiatores. Praecipua igitur oppida fuerunt quot erant in Perside, et ante Persidem in Mesopotamia; non enim eximiis huiusmodi spoliis Assyri reges, neque Chaldae, neque post hosce Persae caruissent. Quamobrem gossypium sequi eas gentes visum est, quae maximum obtinuerunt imperium, haud aliter ac si esset triumphalis tabula deferenda penes currum victoris.

Nec rem indignam fide narramus; ubi etenim Graecia præstítit præevaluitque Asiae, gossypii devehitur usus in Graeciam, a qua una cum ceteris, quae ad effoeminandos fortissimorum animos, ad labefactandas robustissimorum vires pertinebant, gossypium Romani acceperunt, ita ut, circa primordia secundi post Christum saeculi, Italia retia subtilissima ad coercendos matronarum suarum crines ex gossypio conflata iniquo pretio acquireret,

Cuique obvium et perspicuum est illa considerare, quae necessario fuere Byzantii, ac tota, quanta circum, regione, quo delatum imperium est.

At medio aevo, quod dicunt, Arabum prævalentibus agminibus et undique exundantibus, et ubique insidentibus, gossypium, quod cum ipsis peregrinabatur, easdem regiones incolere ac dominari coepit, quas ipsi incolerent ac dominarentur. Hinc in Siciliam ab Oriente demigravit, hinc in Hispaniam, Caroli Magni tempore, et forsitan longe antea. Certum est octavo saeculo in Hispania fuisse opifia, in quibus ex gossypio telarum genus, quas *fustagnores* appellabant, exstitisse; idque ita verum, ut vel hodie in Italia, praesertim in Sicilia et Sardinia, et in ea Italiae parte, quae ad meridiem pertinet, huiusmodi telarum series *fustagni* adhuc appelletur. Atque circa x saeculum Crucesignatis Eropeis ad recuperandum Christi sepulcrum nec semel nec bis contendentibus, emporium veluti quoddam gossypii in insula Cipro, in Asia proximiore, in Syria erat, ex iisque regionibus mittebatur ad nostras gentes rude, quibus excolebatur et perficiebatur et in telarum usus redigebatur. Puduit autem maiores nostros ea ab exteris comparare, quae e solo suo videbant optime germinare; itaque in Siculis primum, deinceps alibi ita crevit industria gentium, ut vel in ipsa Germania non absurde xv saeculo gossypium coleretur. Turcae in peninsula, quae a « Balkanis » dicitur, plantam hanc intulerunt. Sinensem regna, Indis proxima iam ab inde, neque multo post quam inventum et in usus communes gentium redactum est, gossypium præripuerunt. Saeculo autem xiv circiter, magna sedulitate in hoc Seres incumbunt, atque e Sinis in Coream, in Iaponenses insulas processit. In Asiaticas regiones, in finitimas insulas, in Australiam delatum est; ubique enim invenitur. At quo delatum tempore fuerit ignoramus.

Item dicendum de America; nam et in Mexico, et apud Peruvianos, et apud Brasilenses gossypii usum, culturam curamque nostri, qui primum illuc appulerunt ex Europa progressi, invenerunt. At primi illi nescio qua de causa prohibuerunt impediveruntque quominus indigenæ et colerent et uterentur; verumtamen brevi, forsan usu et præstantia cognitis, concesserunt, pristina restituerunt, ac præconio quodam sunt prosecuti *gossypium Barbadense*.

Verum xviii saeculo maxime in America invaluit, ubi homines machinas adstructas gossypio texendo, in fila deducendo, carminando impensis dederunt. Helias Whitney machinam confecit, qua lana gossypii seminibus mundaretur. Hinc longe facilime reliqui labores; accesserunt quae vapore moverentur inventa; mora non fuit quominus gossypium Americanum rude omnes civitates Europæ compleret. At aequali Americano bello eos, qui de servitute retinenda vel abiicienda nigritarum atrociter pugnabant, in foederatis Americae septentrionalis civitatibus ferme nulla gossypii colendi cura fuit, atque inde caritas et inopia rudis lanae Europæas gentes premebat, quae proinde in Italia, in Hispania, in Mauritania, in Algeria, in Natali, in Queenslandis restaurandam gossypii culturam, vel invehendam et constituendam curarunt. Nec res alio cecidit ac speraverant. Sed, peracto bello, conciliata pace inter se, Americanæ gentes iterum intermissa suscepserunt, et quia minoris vendebant et venditabant, nostros negotiatores omnes ad sua converterunt. Non tamen ita ut ab Aegypto et a centro Asiae omnia removerint; quapropter manet his regionibus decus adhuc et utile, sed exiguum utrumque; nam America præbet in gossypiis 70%, quod quidem fortassis et crescat quia et illic institutae sunt electride actae machinae ad conficiendas telas gossypiacas, quae longe minoris quam nostræ venales aguntur.

H. P.

*HORAE SUBSECIVAE**Poëta ad lucernam*

*Ad multam vates producit carmina noctem,
Adsit Apollo favens.
Fumans iam crepitat nocturnae lampadis ignis,
Irradiatque domum.
Primum cum valeat nullos adnectere versus.
Invocat Aonides:
« Quae mihi semper eras dubiis in rebus amica,
Musa benigna, fave ».
Saepius intingit calatum, cerebrumque fatigat,
Si cecinisse queat.
In placidum tandem solvuntur lumina somnum;
Flectitur inde caput.
Suaviter ac sternens, quamvis modo culcita de-
[sit,*

*Somnia mira videt:
Magnus Apollo statim summo descendit Olympo
Laurea serta ferens;
Atque illi caput exornat, dum plausus utrinque
Pegasidum resonat.
Deficit interdum flamma, atque ellychnia lam-
bit,
Iam moritura facis.
Fumeus irritans nares odor excitat illum:
Cuncta nigrent tenebris.
Ille cito liquens sudatos inde labores,
Dicit: Apollo, vale!...
I. SCOPA.*

*EPISTOLARUM COMMERCIIUM**XYLANDER s. p. d. AVENARIO*

A calce incipio. Quid sit *Hoffmanns Stärke* interrogas. Est linteorum corroboramentum et Aquis Salzuflen ad Lupiam conficitur. Atque in scatalis conditum per omnes Germaniae pagos iter facit. Ex usus autem descriptione, quae fundo scatulae adglutinata est, perspexi *Hoffmanns Stärke* esse amyli genus speciale, quod Hoffmannus quidam primus ex oryza paravit. Inde nomen impositum. Nos ea de causa « amyli Hoffmannianum » dicere quis vetat?

Hoc amyli Hoffmannianum inservire quoque dicitur sapidis globis anglicis parandis. Idem manifestum reddere studet usus descriptio. Credat Iudaeus Apella!

Quod tu, Avenari, dicas « rigidare focalia », ego « amyliare collaria » dicere consuevi. Focali semper usus sum, ut panum illum designarem sericum seu telae tenuioris, quem nostates utriusque sexus hieme frigoris abigendi causa, ne faucibus suboriatur morbus, collo circumducunt. « Patagium » est pannus ornamenti causa vestibus adsutus, dico thoraci seu sagae, et interdum etiam pectorali. Certe intertum « rigidare focalia » et meum « amyliare collaria » aliquid interest. Amyliare enim est amylo seu farina amylacea collaria macerare. Sequitur condicio rigandi « ferramento levigatorio », quod hodie plerumque calefit electride. Inde nascuntur gradus: conspurcata sudore et adipe macerantur aqua et lixivio, macerata lavantur, lauta amyliantur, amyliata solidantur vel rigidantur. Ad hanc disceptationem de latus sum tuo « rigidare focalia ».

Nuper mihi verba a regula decedentia tradenti *Stammzeiten* i. c. « a verbo » forte fortuna reddendum erat. Feci « tempora primitiva ». Placentne? Ad meipsum, ut video, calamo per lineas procedente paulatim fertur sermo. Sermo? est enim epistola cum absente i. e. tecum, Avenari, sermocinatio...

Sed antequam litteris imponam finem, te orem, ut, si quando scholarum laboribus sacerdotalibusque muneribus liberatus otio fueris, de gymnicis meis in Societate sententiam aperias et ex opibus tuis meliora substituas inopiae meae. Nunc animum meum tenet de « sclopatione minuta » seu moduli minoris aut modulo minore, i. e. *Kleinkaliberschiessen*, scribendi consilium. « Consilium » dum scribo in mentem venit *Vierjahrsplan*, quomodo dicatur Latine. Est in hac iunctura « consilium » apta vox an magis rem exprimit « ratio oeconomica »? « Ratio oeconomiam per quadrenium restaurandi »? Quid tibi proponendum videtur?

mica »? « Ratio oeconomiam per quadrenium restaurandi »? Quid tibi proponendum videtur?

Interim cura, ut valeas et animo et corpore.

*SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS**Canticum potatorium quarti decimi saeculi*

Hoc carmen, cuius auctor omnino incognitus est, cum Ioanni Dantisco, episcopo Varmiensi (1538-1548) nescio quomodo ascriberetur, illi editioni, quam Ehrenfridus Boehm sub titulo: « Dantisci poëmata et hymni » anno 1764 Vratislaviae promulgandam curabat, immixtum video. Sed hanc opinionem perversam fuisse appareat.

Namque Franciscus Iosephus Mone, historicus clarissimus, qui carminis textum ex manu scripto Leodiensi depromptum in scriptura periodica: *Anzeiger für Kunde des deutschen Mittelalters* (vol. 2, pag. 190, Nürnberg 1833) diligenter reddebat, nos docuit illud carmen quarto decimo iam saeculo scriptum esse. Id in monasterio « Villars » in Brabantia sito compositum esse verisimile est.

Inde, sicut ego aestimo, passim diffusum et varie mutatum est.

LAUDATIO VINI

Vinum bonum et suave,
bonis bonum, pravis prave;
cunctis dulcis sapor, ave,
mundana laetitia!
Ave felix creatura,
quam produxit vitis pura;
omnis mensa fit secura
in tua praesentia.
Ave color vini clari,
ave sapor sine pari;
tua nos ineibriari
digneris potentia.
Ave placens in colore,

ave fragrans in odore,
ave sapidum in ore
dulcis linguae vinculum.

Ave sospes in modestis,
in gulosis mala pestis;
post amissionem vestis
sequitur patibulum.

Monachorum grex devotus,
omnis ordo, mundus totus
bibunt ad aequales potus
et nunc et in seculum.
Felix venter, quem intrabis,
felix lingua, quam rigabis,
felix os, quod tu lavabis
et beata labia.
Supplicamus, hic abunda!
per te mensa fit fecunda;
et nos cum voce iucunda
deducamus gaudia.

Vratislaviae scripsit unidecimesimo die m. Septembris 1939

HANS LIS,
studiorum consiliarius.

RISUS ET HILARITAS

Auctores fere omnes, quotquot in huiusmodi argumenti investigationes incubuerunt, sive risum absolute perscrutati sunt, sive illum una cum ceteris vultus motibus comparavere. Horum praecipui recensentur: Michael Scott (qui XIII per saeculum versatus est), Denys, Prudentius Roy (1814), Séudo (1839), Carolus Bell (1844), Duchenne de Boulogne, Darwin qui in motibus investigandis primas retulit libro illo quem inscripsit *The Expression of the Emotion's* (1892), Charcot insuper, Richer, Pitres, Mantegazza, Bechterew, Brissaud, Ribot, Dumas, Stanley Halle, Arthur Allin; quorum postremi universalem ad rem quaestionem per diaria proposuerunt et uberiorem exitum nec opinatum retulere. Raulin vero doctor primus adnotavit, quem risum felicitatis ac laetitiae signum plerique retinuerint, haud raro

corporis mentisve morbum proprius significare.

Risus, quem sponte saepe elicimus, exictari etiam per *pharadizationem* potest, prout ab anno usque 1860 Duchenne de Boulogne, *reophora* ad maxillarum musculum magnum admovens, callide expertus est. At musculi qui circum maxillas agunt, omnes simul ad risum promovendum concurrunt, immo iuxta varios eorum motuum connexus risus formae atque adspectus vari flunt. Singuli tamen motum suum ad maximi musculi motus conferunt quo superior maxilla adligatur: ille enim (Raulinum auctorem rei habemus) primam risus formam profert, ceteri, contra, secundam.

Sed et titillatio quidem risum promovendi vim habet, eiusque tactu, trigemini illius nervi, qui vultum in totum fere circumdat, maxime excitantur termini.

Similia medii manipuli nervorum perferrunt, qui in spina abduntur, et etiam nervi qui manus palmarum vel pedum plantam percurrunt, titillationi parati sunt. Huiusmodi vero sensus, ut inopinato exsurgat, aliorum tactu excitetur oportet, neque nobis ipsi procurare valemus.

Sunt etiam exhilarantes potus vel medelae ad risum movendum aptissimae, veleti *azoti protoxydum*, quod alter *paradisi aëris* nuncupatur, cuius vim non semel nec incassum Humphry Davy expertus est, itemque opium et *haschisch* Indorum potus; quae et Homerici poëmatis personae cognoverant.

Verum corporis vel animi morbos risus persaepe profert. Profert quidem in nervi facialis aliorumque nervorum paralysi, et in atrophia muscularum quae pueros afficit, et in morbo maiore (vulgo *epilessia*), in cuius extrema specie erumpens risus nervorum contractiones admodum excruciantes saepe abscondit.

Subridens silentio labium vel irridens, pariterque sarcasmus, oculorum vel aurium aberrationes in homine chronicus de-

lirio correpto nonnunquam indigitant. Ironicus autem risus attonitae mentis saepe signum est, risus contra intemperans praevalidam animi commotionem portendit. In idiotis autem et in pueris «repulsus» quidam est, qui ad nullam animi certam formam referri potest.

Circa corporis locum, unde risus permovetur, Raulin sententia est, hunc in cerebral cortex, in operculo, inveniri; centrum autem congregationis atque inhibitioinis in nucleis cinereis, qui dicuntur, thalami optici, residere; centrum denique executionis in protenta medulla.

Haec quidem medicis tum ac philosophis non spernenda in elucubrationibus suis esse putamus.

R. S.

ANNALES

Germaniam inter atque Poloniam discrimen.

Dum Germani hinc indeque Poloni pacis assertores, uti diximus, sese profitentur, alter alterum vicissim de contrario accusat; itaque non pacis consilia inter se obvia sunt, verum mutuae tantum diffidentiae congreguntur, quae quidem causae exstant acrioris animorum contentionis. Accedit nunc necopinato pervulgatum die xxv mens. Augusti, post commerciorum pactionem a Germania cum Russia initam, aliud foedus inter hasce duas civitates ictum de invicem non aggrediendo; quod a pluribus iudicatum est potius de Poloniae hercito inter se ciendo. Paulo post foedus inter Germaniam et Slovaciam nunciatur, quo Germania militarem tutelam Slovacchi territrii sibi sumit. Anglia ex adverso promissa fidemque suam sollemniter confirmat Poloniae datam ex recenti cum hac civitate pacto convento; ex quo facile intelligitur quae eius futura sit actio si

incendium sit exarsursum. Bellum igitur imminens appetet, neque tantum ad liberam Danzicae civitatem mesaulasque Polonas, quae vulgo vocatae sunt, Germaniae adiicendas...

Ad tantam calamitatem avertendam tollitur rursus Supremi Patris Pii XII angoris plena vox; tollitur vox Belgarum regis, Bataviae reginae, Foederatarum civitatum Septemtrionalis Americae Praesidis; omnes iterum iterumque proclamant discrimen solvi per tractationes posse, quae utriusque populi necessitatibus subveniant; proponuntur arbitratus, variae conciliationis actiones; Musolinus ipse nunc etiam intercessionis auctor fit, sed ab opere redire se debuisse brevi confitetur.

Procella imminet: Polonia exercitum suum omnem omnibus rebus ornat atque instruit: id, neque Poloniae solum sed et Angliae suadae, ad pugnam provocatio a Germania praedicatur; quae statim, primo mane diei 1 mens. Septembris infestis tum suis tum Slovaciae armis omnes fines Poloniae praetergreditur, longeque lateque sensim Polonum territorium occupat, vastat, ferroque et igni, aëronavibus praesertim, diruit. Resistunt Poloni, heroicē resistunt, unguibus et rostris repugnant; sed quid faciant contra praepotentissimum hostium atque bellicorum tormentorum numerum?

Neque Germanorum tantum; nam die xvii m. Septembris et Russi quidem, sub specie libertatis vindicum atque patronorum, Poloniam invadunt a Lectoniae finibus ad Rumenos, atque obtestantes Polonorum regimen collapsum fuisse in Ukrainae et Russiae albae, quae vulgo nuncupatur, suum substituunt, hercle verae libertatis! Atque tamen Poloni haudquaquam cedunt: vix post integrum mensem Varsavia urbs caput, Modlin arx atque Hela peninsula, extrema gentis propugnacula prope solo aquata, in hostium tandem ditionem traduntur.

Ita discriminis solutio, rationi subrepta, vi concredata est, quum tamen omnibus in aperto sit illam esse semper ad iustitiam viam; hanc fere nunquam!

Ex Oriente

Novi qui videbantur belli nimbi inter Iaponiam et Russiam in extremo Oriente evanuerunt per compositionem ab iis factam, qua ab armis recessum est, manentibus duabus civitatibus intra suos fines, captivisque utriusque partis permutatis.

Ita Iaponiis integra potestas reddit suas copias in Sinas iterum inducere, et ulterius progredi in suis contra Sinenses victoriis.

Prid. Kal. Octobr. MCMXXXIX.

POPLICOLA.

VARIA

Quae ratio a quibusdam in perturbanda Republica ac pace frangenda observari soleat.¹

Defecerunt e populo Romano Circei simul atque Velitrae coloniae, ea spe ducti, quod a Latinis putarent se contra Romanorum vim posse defendi; victis autem Latinis, quum se spe sua frustratos cernerent, deliberabant de mittendis Romanorum oratoribus ad veniam petendam. Sed qui autores ipsis fuerant rebellionis, huic consilio obstabant, quod fore putarent, ut poenae sibi solis essent persolvendae. Hoc autem quo commodius perficerent, omniaque pacis consilia irrita redderent, concitata multitudine, in agros Romanorum excurrerunt, et praedas inde abegerunt.

Horum igitur institutum si sequi volles, facile omnem spem consequendae pacis intercipes; quod is qui tale quoddam

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*